
C. Francke.
(H. Opitius.)
De
Jacobo dilecto et Esavo rejecto.
ex Epist. Rom. IX. 10-13.


Kilonii. 1689.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

1,-276.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 014561

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

I. N. J. A.

DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS

De

JACOBO DILECTO

ET

ESAVO REJECTO,

Cùm nondum nati eſſent, nec quicquam boni aut mali egiſſent,

Ex Epiſt. Rom. IX, 10. 11. 12. 13.

Quam

In Illuſtri CHRISTIAN-ALBERTINA

Ex Decreto Venerandi Ordinis Theologorum,

PRÆSIDE

Viro Maximè Reverendo ac Celeberrimo,

DN. CHRISTOPH. FRANCKIO,

S. Theol. D. & Profeſſ. Publ. Ordin. Facult. ſuæ h. t. ſpectabili DECANO,

Domino Fautore atque Collega ſuo Honoratiſſimo,

Pro Conſequendo GRADU DOCTORALI ad diſputandum proponit

HENRICUS OPITIUS,

Hactenus Hebr. & Orient. Lingg. nunc verò S. Theol. Prof. Ord. Conſtit.

d. 6. Junii Ao. M DC LXXXIX.

In Auditorio Majori, Ante- & Pomerid. Horis.

KILONI, Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.

36

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

I. N. J. A.

§. 1.

DIſpicienti mihi de gravi ac momentoſo Diſputationis meæ Inauguralis Argumento, occurrit inter alia Locus Paulinus ex Epiſt. ad *Rom. IX, 10. 11. 12. 13.* de JACOBO DILECTO & ESAVO REJECTO, *cùm nondum nati eſſent, nec quicquam boni egiſſent aut mali.* Nam, ſi ullus alius inter δυσνόητα Paulina cenſeri meretur, is ipſe ſanè Locus eſt, ceu in quem Reformati, præconceptæ ſuæ Opinioni de *Abſoluto Electionis & Reprobationis Decreto* nimis indulgentes, tanquam in ſcopulum periculoſiſſimè impingunt.

§. 2. Solent enim illi, quando de iſto Decreto agunt, communiter Argumentum quaſi Achilleum ex hoc noſtro Loco petere, tantum eidem robur ineſſe putantes, ut ei tutò moles periculoſæ hujus ac noxiæ doctrinæ ſuperſtrui poſſit.

§. 3. Quàm malè verò Locus iſte huc trahatur, manifeſtum fiet, ſi (1) Ipſa verba Textûs Paulini cum falſa Adverſariorum explicatione & applicatione ad abſolutum Electionis ac Reprobationis Decretum exhibeamus. (2) Si Rationes & Argumenta Adverſariorum pro falſa hac ſua explicatione proponamus. (3) Si ad verum Apoſtoli ſcopum, quem ſibi in hoc *Cap. IX.* & *duobus ſeqq.* præfixum habet, accuratè attendamus, indeque genuinum Apoſtolici Dicti ſenſum eruamus. Et denique (4) Si falſam Adverſariorum Explicationem & adductas pro ea rationes expendamus, easque idoneis rationibus deſtruamus.

Quæ ut feliciter à nobis perficiantur, Spiritûs S. gratiam devotè imploramus, ut ea nobis adeſſe, atque de hoc cœleſtis doctrinæ Capite diſſerentes in omnem Veritatem ducere velit. Amen!

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

SECT. I.

Exhibens Textum unà cum Reformatorum Explicatione.

§. 3. Textus igitur, in quô deſperatæ ſuæ Cauſæ *de Abſolutô Electionis ac Reprobationis Decreto* patrocinium quærunt Adverſarii, in *Epiſt. ad Rom. Cap. IX, 10. 11. 12. & 13.* deſcriptus ita ſeſe habet

In fonte Græco:

10. Ου μόνον δὲ, ἀλλὰ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν.

11. Μήπω γὰρ γεννηθέντων, μηδὲ πραξάντων τὶ ἀγαθὸν ἢ κακὸν, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ πρόθεσις μένη:

12. Ουκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος, ἐῤῥήθη αὐτῇ: Ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι.

13. Καθὼς γέγραπται, τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα.

Verſio Latina:

10. Non ſolùm autem (*ſcil. hoc cum duobus filiis Abrahæ, Iſaaco ex Sara, & Iſmaële ex Hagar natis, ita ſe habet*), ſed & Rebecca (*ſcil. itidem hoc experta eſt*), cùm ex unô concepiſſet (*nimirum*) Iſaaco Patre noſtro.

11. Nondum enim natis (*Eſavo & Jacobo. Syr. Filiis ejus. Æth. Gemellis*), cùm nec feciſſent quicquam boni vel mali, ut illud ſecundùm electionem DEi propoſitum maneret.

12. Non

12. Non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei, (*Rebeccæ Gen. XXV*, 23.) quod Major ſerviet minori.

13. Sicut ſcriptum eſt (*Malach. I*, 2. 3.); Jacob dilexi, Eſau verò odio habui.

Germanica Lutheri:

10. Nicht allein aber iſts mit dem alſo/ ſondern auch Rebecca von dem einigen Jſaac unſerm Vater ſchwanger ward.

11. Ehe die Kinder gebohren waren / und weder gutes noch böſes gethan hatten/ auff daß der Fürſatz GOttes beſtünde nach der Wahl/ward zu ihr geſaget:

12. Nicht aus Verdienſt der Wercke/ſondern aus Gnade des Beruffers/ alſo/ der Gröſſeſt ſoll dienſtbar werden dem Kleinen.

13. Wie denn geſchrieben ſtehet: Jacob habe ich geliebet/ aber Eſau habe ich gehaſſet.

§. 4.

Inde nimirum colligunt Adverſarii, quandoquidem *nondum natis* (pueris Jacobo & Eſau), *cùm nec feciſſent quicquam boni vel mali, DEus Jacobum dilexerit, Eſavum verò odio habuerit, ut ſecundùm electionem propoſitum DEi maneret, non ex operibus, ſed ex vocante:* Electionis & Reprobationis Decretum eſſe abſolutum, DEumque quosdam ad vitam æternam, quosdam ad mortem æternam prædeſtinâſſe, nullâ extra DEum causâ exiſtente impulſivâ, quæ ipſum ad ita decernendum, noſtrô quidem intelligendi modô, moverit: quanquam illa verba variè iſtuc accomodant, prout varias de abſolutô Electionis ac Reprobationis decreto fovent ſententias.

§. 5. Ex multis paucorum verba ut adducamus, juvat hîc primô locô audire Calvinum, quando *Inſtitut. Lib. III. cap. XXII. num. 4. Jam ad Romanos* (Cap. IX. Apoſtolus) *Argumentum hoc* (ſcil. de Electione) *& repetit altius, & fuſius proſequitur.* Et *num. 11. Nunc de reprobis, quos ſimul conjungit Apoſtolus* (Rom. IX, 13.): *Ut enim Jacob nihil dum bonis operibus promeritus, aſſumitur in gratiam: ſic Eſau nullô adhuc ſcelere inquinatus, odiô habetur.* Et paucis interjectis: *Deinde ubi* (Paulus) *Objectionem movet, num iniquus ſit DEus, illud quod certisſimum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

& apertiſsimum fuiſſet juſtitiæ ejus patrocinium, non uſurpat, DEum rependiſſe Eſau ſecundùm ſuam malitiam: ſed diverſâ ſolutione contentus eſt, quòd in hunc finem excitentur reprobi, ut DEi gloria per illos illuſtretur. Demum ſubnectit clauſulam, DEum, cujus vult, miſereri, & quem vult, indurare. Vides, ut in ſolum DEi arbitrium utrumque conferat? Ergò ſi non poſſumus rationem aſſignare, cur ſuos miſericordiâ dignetur, niſi quoniam illi ita placet: neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm ejus voluntatem. Quum enim dicitur DEus vel indurare vel miſericordiâ proſequi, quem voluerit, eô admonentur homines, nihil cauſæ quærere extra ejus voluntatem.

§. 6. Similiter Beza *in Actis Colloquii Mompelgart. de Prædeſtinat. ad dogmata* à noſtratibus rejecta, & quidem *ad III.* quod erat: *DEum reprobos nondum natos nullo indignitatis reſpectu exitio deſtinaſſe, & quosdam ad juſtum judicium à DEo conditos eſſe:* Et ſimul *ad V.* reſpondet *pag. 517. Paulum ipſum oppugnatis hoc dogmate Rom. IX, 11. Tam enim falſum eſt, Incredulitatem eſſe Cauſam divini hujus decreti de juſtè perdendis aliquibus, quàm falſum eſt, prævíſam fidem cauſam eſſe prædeſtinationis vel Electorum,* (Electionis,) *quod Pelagianorum eſt dogma, ut dictum eſt ad easdem Theſſ. 5. & 6.*

§. 7. Sic Zanchius *Lib. V. de Natura DEi Cap. II. pag. 630. Scriptura,* ait, *cùm loquitur de Prædeſtinatione, nunquam addit conditionem ullam: ſed ſimpliciter & abſolutè pronunciat, DEum dilexiſſe Jacobum, odiſſe Eſavum Rom. IX, 13.* Et *pag. 713. Totam Reprobationem, h. e. tùm rejectionem à gratia & gloria, tùm deſtinationem ad dedecus & ad iram DEi, h. e. ut eſſent vaſa iræ & vaſa in contumiliam; contendimus cum Apoſtolo* (Rom. IX.), *ex ſola DEi voluntate pendere: non autem ex prævíſis operibus: quanquam nemo damnetur, niſi propter peccata.*

§. 8. Nec aliter Piſcator *ad Rom. Cap. II. Obſerv. 5. Quos prædeſtinavit DEus ad exitium, non prædeſtinavit propter eorum offenſas: quomodò enim potuerunt offendere, qui nondum erant nati? ſed reprobavit eos ex odio libero, eoq; ſancto & juſto.*

§. 9. Wendelinus verò *Exerc. XVI. §. 12. Quæſtio,* inquit, *apud Paulum de Eſavo & Jacobo comparatè expeditur: Cur Jacobum & Eſavum conditione naturæ æquales tàm inæqualiter DEus tractet, ut unum amore, alterum odiô proſequatur? Cauſam diſcretionis nullam agnoſcit, quæ etiam nulla eſt, præter DEi voluntatem.* Conf. eundem *Chriſtian. Theol. Syſtem. Maj. Lib. I. cap. IV. §. 4. in Explic. num. 4.* Plura videri poſſunt apud Commentat. in *h. l.*

SECT. II.

Proferens Rationes & Argumenta pro falſa hac Adverſariorum Explicatione.

§. 10. Ut autem demonſtrent, hanc ſuam ſententiam ex ipſo Textu fluere, varias hujus noſtri cum præcedentibus Capitibus connectendi rationes comminiſcuntur, quarum tres ſequentes imprimis ex mente Contra-Remonſtrantium exhibent Remonſtrantes in *Actis ſuis part. II. pag. 98. 99.*

§. 11. Nimirum (1) ſunt, qui putant, Apoſtolum, cùm antea probaſſet, ſolâ in Chriſtum fide hominem ſanctificari ac juſtificari, nunc ulterius procedere, & *cùm fides ſit DEi donum*, hoc loco docere, *quibus DEus præcisè fidem dare velit:* Nempe non omnibus, ſed paucis tantùm Judæis & plurimis inſuper gentilibus, quos ipſe ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ elegerat ad ſalutem, maximâ Judæorum parte ex ejusdem ſuæ voluntatis conſilio ab eadem rejectâ ac reprobatâ: Quod cum *Prædeſtinatione abſoluta* coincidit.

§. 12. (2) Alii arbitrantur, Apoſtolo motam fuiſſe hanc Objectionem & difficultatem: *Si Jeſus eſſet Meſſias, & ejus fides unicum Juſtitiæ & ſalutis obtinendæ medium, quæ igitur Cauſa foret, quòd Judæi, qui erant DEi viventis Eccleſia, & quibuscum DEus fœdus æternum pepigerat, in ipſum non crederent? Manifeſtè hinc alterutrum ſequi debere, aut DEi verbum ac promiſſionem Judæis in fœderis pactione factam, irritum eſſe, aut nec Jeſum verum illum Meſſiam eſſe, nec, quæ in ipſum eſt, fidem verum eſſe juſtitiæ & ſalutis adipiſcendæ medium.* Quæ Objectio (ex illorum mente) Paulo cauſam præbuit aſcendendi ad ſupremas fidei cauſas, beneplacitum ſcil. & electionem DEi, ac dicendi, *quamvis externa vocatio & fœdus ad univerſum Genus Iſraëlis pertineret, DEum tamen ſecundùm arcanam ſuam electionem & beneplacitum quosdam tantùm eorum (præter bonam Gentilium, qui acceſſuri eſſent, partem) pro ſuis agnoviſſe, quos etiam ſolos (reliquis præteritis) fide ſalvificâ donare conſtituerit, verbumq; ac promisſionem DEi in his ſolis (quippe ad quos ſolos ſecundùm propoſitum & conſilium ejus propriè pertinebat) firmam ac ratam eſſe.* Sed & hoc quoque cùm præcisâ Prædeſtinatione coincidit, parum aut nihil à præcedente illo diſcrepans.

§. 13. (3) Adhuc alii Connexionem & cohærentiam deducunt ex eô, quòd Apoſtolus circa finem præcedentis Capitis docuerat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

rat, *nihil eſſe, quod nos à charitate DEi poſſit ſeparare*, quô ipſo certam eorum, qui ſemel crediderunt, perſeverantiam (uti illi autumant) adſtruit: & quia contra eam doctrinam objiciebatur, aut objici ſaltim poterat, *Iſraëlem tamen, nihil obſtante DEi promiſſione ipſi factâ, quòd in æternum ipſi futurus eſſet DEus, à DEi charitate fuiſſe ſeparatum*: propterea *hoc Capite* Apoſtolum ad iſtam Objectionem reſpondere: *Verbum ſcil. & promiſſionem ad ſolos electos pertinere, quos DEus ita in ſua charitate conſervet, ut ſeparari ab ea nullô modo queant; à quo beneficio reliquos excludat, ex eodem licet Iſraële ſecundùm carnem prognatos*. Unde porrò (ſicut illi exiſtimant,) occaſionem deſumit de præciſæ ac ſublimis illius Prædeſtinationis myſterio fuſius diſſerendi.

§. 14. Piſcator *in Analyſi* Cap. IX. *ad* Rom. arbitratur, Apoſtolum, poſtquam in præcedentibus de *Juſtificatione* & *Sanctificatione* diſputaverit, deinceps per tria ſequentia Capita usque ad duodecimum diſputaturum eſſe de *Prædeſtinatione* atque accedere ad hanc doctrinam per tacitam prolepſin: quandoquidem contra doctrinam illam de Juſtificatione traditam objici potuerit *Incredulitas gentis Judaicæ* h. m. *Si doctrina illa de Juſtificatione per fidem in Chriſtum eſſet vera, approbari quoque & recipi debere à gente Judaicâ, quippe quæ tunc erat populus DEi*. At Judæos ſaltim maximâ ex parte doctrinam illam improbare ac damnare. Non ergò videri doctrinam illam eſſe veram. Ubi Apoſtolus neget propoſitionem, reſpondendo ad rationem, docens, non omnes Judæos pertinere ad populum DEi, ad quem propriè pertineat promiſſio gratiæ DEi, ſed tantùm eos, qui promiſſioni gratiæ credant. Quòd autem pauci credant, plerique non credant, id pendere ab arcana voluntate & prædeſtinatione DEi, ut qui alios pro ſua miſericordia elegerit ad vitam æternam, alios verò pro inſcrutabili juſtitia reprobârit: ex qua quidem Reprobatione pendeat maximæ partis Judæorum illius temporis rejectio, & contrà Gentium in illorum locum vocatio. Summam igitur *priorum quinque verſuum* hanc eſſe: *Ego Paulus ex animo doleo, quùm video, maximam partem Judæorum Evangelio non credere: quùmq; conſidero, eos ideò credere non poſſe, quòd ſunt à DEo rejecti ac reprobati atque ad exitium deſtinati*. Ita Piſcator. Alii alios connectendi modos quærunt pro ſtabiliendo ſuo dogmate.

§. 15. Sed his miſſis, videamus nunc etiam *Rationes*, quas pro

ſua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

ſua ſententia firmanda afferunt Adverſarii. In præſens autem ſufficere poterunt *quatuor*, quas urget Pareus *Comment. in h. l. Prima* eſt, quòd Apoſtolus doceat, non omnes eſſe filios promiſſionis, idque juxta Electionis propoſitum. Promiſſionem autem fuiſſe de fœdere & gratia vitæ æternæ. 2. Quòd DEus h. l. dicatur figulus, faciens aliud vas ad honorem, aliud ad dedecus: præparans vaſa miſericordiæ ad gloriam, coagmentans vaſa iræ ad interitum. 3. Quòd Oracula Oſeæ & Jeſaiæ h. l. *verſ. 25.* allegata, de Gentium vocatione ad gratiam ſalutis; Judæorum verò rejectione à ſalute apertè loquantur. 4. Quòd omnes interpretes ſaniores agnoſcant, hîc explicari myſterium Prædeſtinationis, licet de ejus explicatione varient.

Sect. III.

Demonſtrans verum Apoſtoli ſcopum, quem ſibi in hoc IX. & ſeqq. duobus Capitibus propoſitum habet, indeq; genuinum dicti noſtri ſenſum eruens.

§. 16. Propoſitis ſic *præcedenti Sectione* Adverſariorum Rationibus & Argumentis, quæ illi ex hoc noſtro loco pro abſolutô ſuo electionis & reprobationis Decreto exſtruxerant: methodi noſtræ ratio nunc poſtulat, ut genuinum Apoſtoli ſenſum, in Textu noſtro latententem, eruamus, eumque, quâ fieri poteſt perſpicuitate, illuſtremus.

§. 17. Hunc autem ut feliciter inveniamus, neceſſe eſt, ut quàm accuratiſſimè ad Scopum Apoſtoli attendamus, quidque is ſcopo ſuo convenienter tractet, obſervemus. Et ne tricis variis hîc injectis verus ille ſenſus & ſcopus nobis intervertatur, operæ pretium erit, ab ipſo ovo, quod dicitur, ea repetere, quæ *præcedentibus Capitibus* hucusque tractavit Apoſtolus, quô ipsô ſenſus Controverſi noſtri loci clariùs pateſcet, & contrariæ ſententiæ falſitas felicius detegetur.

§. 18. Nimirum demonſtraturus Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos *Doctrinæ Evangelicæ ad ſalutem neceſſitatem*, docet, neque ex ſapientia mundi, quâ nitebantur gentiles, neque ex lege Moſaicâ, cui fidebant Judæi, quenquam coram DEo juſtificari, ſed omnes eſſe peccatores, quod facit *Cap. I. II. III.* usque ad *verſ. 20.* incluſivè.

§. 19. Quandoquidem verò Peccati comites individui ſunt *Maledictio legis* ac *æterna damnatio*; hinc monſtrat Apoſtolus, nullâ aliâ ratione homines ab iis poſſe liberari, niſi juſtitiâ Chriſti per fidem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

imputatâ, ſolâque fide in Chriſtum nos juſtificari, utpote *quem DEus propoſuerit ἱλαστήριον per fidem in ſanguine ipſius, ut juſtificet eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti, Cap, III, 21. ad fin.* it. *Cap. IV. & V. tott.*

§. 20. Ne quis autem putet, *ſtudium bonorum operum ſic fore ſupervacaneum*, ſi nihil ad conſecutionem juſtitiæ & juſtificationem conferat, docet ulterius, ac variis, iisque elegantiſſimis ſimilibus illuſtrat doctrinam illam, quòd *juſtificati per fidem* faciant Bona Opera, ceu fructus fidei, vel, uti Apoſtolus loquitur, *mortui ſint peccato; vivant autem DEo per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum: Cap. VI. & VII.* Quibus tandem ſubjungit varios conſolationum fontes contra reliquias peccati in renatis ac juſtificatis, nec non contra varias afflictiones & perſecutiones, quæ contingere ſolent iis, qui Chriſto verâ fide adhærent: *Cap. VIII. tòt.*

§. 21. Contra illam verò doctrinam Apoſtolicam de *Juſtificatione per fidem in Chriſtum* adeò prolixè hactenus expoſitam varia objici poterant, quibus diluendis Apoſtolus hîc dat operam. Et *præcipua* quidem *Objectio* hæc erat: *Si doctrina Evangelii, de gratuitâ juſtificatione per fidem in Chriſtum, hactenus à Paulo aſſerta, vera eſſet, ſequi Judæos non per fidem in Chriſtum, ſed per opera legis juſtitiam quærentes, rejectos eſſe à juſtitia: Contrà verò Gentiles, juſtitiam ſuam per fidem quærentes, ad eam electos & adductos eſſe, & ſic excidiſſe verbum DEi, ſeu irritas factas eſſe promisſiones DEi, patribus Judæorum factas*: his enim præcipuè datum erat promiſſum de juſtitiâ, ſemini eorum donandâ per Meſſiam.

§. 22. Ad *hanc* igitur & *ſimiles Objectiones*, quia videbantur tanti eſſe momenti, ut ſi obtinerent, doctrinam de juſtificatione per fidem in Chriſtum planè everterent; ex profeſsô nunc *Cap. IX. X.* & *XI. tott.* Apoſtolus reſpondere, ac Theſin ſuam in præcedentibus tàm prolixè, tam ſolicitè à ſe propoſitam, ſcil. *Hominem peccatorem non operibus legis, ſed ſola fide in Chriſtum juſtificari*, tanquam *Acropolin religionis Chriſtianæ* contra Adverſariorum inſultus defendere decrevit. Et ad Objectionem quidem theſi præcedenti propoſitam reſpondet Apoſtolus, docens, Nequaquam per hoc, quòd Judæi non credant in Chriſtum, & ſic juſtitiam non conſequantur, conſequantur autem eam Gentiles, *Verbum DEi excidiſſe aut irritum eſſe factum*; cùm plus requiratur ad hoc, ut quis ſit populus DEi, ad quem promiſſiones divinæ pertinent, quàm carnalis ex Abrahamo vel Jacobo nativitas; ſimulque exponens cauſas, cur juſtitiam conſecuti ſint gentiles, non

verò

verò Judæi, quòd ſcil. Illi in Chriſtum crediderint, hi vero in Chriſtum credere & ordini à DEo præſcripto obedire noluerint.

§. 23. Atque hunc verum eſſe ſcopum, quem ſibi Apoſtolus in hoc noſtro *Controverſo Loco* habet propoſitum, ut nimirum ad nimiam illam gloriationem Judæorum (quâ carnali prærogativâ nixi, quòd ſcil. filii eſſent Abrahæ, inde ſe à juſtitia DEi ſalvis promiſſionibus divinis exludi non poſſe, nec gentiles in populum DEi poſſe recipi, inferebant,) reſpondeat; non ſolùm totius hujus *Capitis IX.* cum præcedentibus & ſequentibus *X. & XI. Capitibus* monſtrat connexio; ſed & ſpeciatim id docet *verſus 6. hujus Cap. IX.* ubi dicit Paulus: *Non poſſibile autem eſt, quòd exciderit illud verbum DEi*, (ſcil. promiſſionis Patribus factum de juſtitiâ, ſemini eorum donandâ per Meſſiam,) præcipuè verò id manifeſtum fit ex eô, quòd Concluſionis locô ſub finem *Capitis noſtri IX.* dicta ſua quaſi in ſummam collecturus infert Apoſtolus *verſ. 30. 31. 32. 33. Quid ergò dicemus? quòd Gentes non ſectantes juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam: juſtitiam autem eam, quæ eſt ex fide: Iſrael verò ſectans legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce ego pono in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali, ſed omnis, qui credit in eum, non confundetur.*

§. 24. Scopô Textûs Apoſtolici ſic obſervatô, videndem nunc, quomodo Paulus in defenſione doctrinæ ſuæ procedat, & imprimis, quomodo *Locum noſtrum Controverſum* ad ſuum accommodet propoſitum. Nimirum, antequam ad ipſam ſui dogmatis probationem accedat Apoſtolus, facilè prævidens, ſe aſſertione hac ſuâ de *Rejectione populi Judaici à juſtitia DEi* apud fratres ſuos ſecundùm carnem parum favoris ſibi conciliaturum, quin potius in ſuſpicionem adductum iri, quaſi odio gentis ſuæ, à quâ tot mala hactenus perpeſſus fuerat, eam ſententiam defenderet: prolixè ante omnia propenſum ſuum erga populum Judaicum teſtatur affectum, cùm optando anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis, tùm magnificè eorum prærogativas præ aliis populis prædicando, id quod facit *Cap. IX, 1. 2. 3. 4. 5.* his verbis: *Veritatem dico in Chriſto, non mentior, conteſtante mihi conſcientiâ meâ in Spiritu Sancto. Quòd triſtitia mihi ſit magna & continuus dolor cordi meo. Optarim enim ipſe ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, cognatis,* inquam, *meis ſecundùm carnem. Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum eſt adoptio, & gloria, & fœdera, & legislatio, & cultus, & promiſſiones: Quorum* ſunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

Patres, & ex quibus Chriſtus eſt ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia DEus benedictus in ſecula, Amen.

§. 25. Hac captatione benevolentiæ præmiſsâ, reſpondet Paulus ad dictam Judæorum gloriationem de carnali ſuâ ab Iſraele origine ac nativitate, eorumque Objectionem *de irritâ promisſione DEi, Patribus factâ*, ſi ipſi à Juſtitiâ DEi excludantur, diluit, *Negando conſequentiam*, docens, non promiſcuè omnes, qui nati ſunt ex patre Iſrael ſecundùm carnem, ſtatim eſſe veros Iſraëlitas, & filios Iſraëlis, ad quos promiſſiones illæ DEi pertineant; ſed eos demum, quos pro talibus filiis haberi DEus voluerit, quosque peculiariter ad hoc delegerit, ut eſſent ſemen illud Iſraëlis, in quô divinæ promiſſiones implerentur.

§. 26. Quæ ut rectiùs intelligantur, obſervandum, quòd tunc temporis duplex fuerit cœtus in populo ex Iſraële nato: alter cœtus major, qui Chriſtum crucifixum pro Meſſia agnoſcere nolebat, ac juſtitiam per ipſum donandam reſpuebat; alter minor, cui ſeſe aſſociabant Gentiles, qui Meſſiam in Evangelio exhibitum verâ fide amplectebantur, ac ſpem ſalutis in eum ponebant. Hi diſceptabant inter ſe, uter verus Iſrael ſit, ad quem pertineat promiſſio? Major cœtus gloriabatur de nativitate ſua ex Iſraële, ac per obſervationem legis Moſaicæ ſectabatur juſtitiam: Minor verò cœtus unà cum gentilibus eidem junctis unicè juſtitiam ſuam quærebat per fidem in Chriſtum. Pro hoc igitur cœtu & gentilibus ei conjunctis pronunciat hîc Apoſtolus, quòd is nimirum ſit verus Iſraël, in quô *verbum promisſionis* impleatur, ut non neceſſe ſit, *illud eſſe irritum*, ſi vel maximè cœtus major juſtitiâ excidat.

§. 27. Hoc autem ut magis illuſtret Apoſtolus, duplex affert Exemplum, quorum prius in Abrahami, poſterius verò in Iſaaci ædibus contigit. De *priori* Exemplo ita loquitur *verſ. 7. 8. 9. Neque quia ſunt ſemen Abrahæ, ideò omnes filii ſunt, ſed in Iſaac tibi vocabitur ſemen. Hoc eſt, non qui filii carnis, hi filii DEi ſunt, ſed qui filii promisſionis, æſtimantur in ſemine. Promisſionis enim verbum hoc eſt: hoc ipſo tempore veniam, & erit Saræ filius.*

§. 28. Nimirum Apoſtolus cum iis loquens, qui legis erant periti, revocat eos ad legem Moſis, atque ex eâ docet, Abrahamum duos potiſſimum habuiſſe filios, (reliquos enim ex Ketura, *Gen. XXV, 1. 2. 3. 4.* enumeratos h. l. ne quidem conſiderat,) alterum *Iſmaëlem*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

ex Hagar, communi more & virtute naturali genitum; alterum *Iſaacum* ex effœta Sarâ, modô quidem carnali, ſed virtute ſupernaturali ac vi promiſſionis divinæ ſuſceptum, ſcil. juxta verbum promiſſionis *Gen. XVIII, 10. Hoc tempore veniam, & erit Saræ filius*. Jam porrò docet, promiſſiones divinas Abrahæ factas de temporalibus beneficiis, nimirum de terrâ Canaan hæreditate poſſidendâ, & de ſemine benedicto, ex ipſo orituro, non ad Iſmaelem, licet is quoque Abrahæ filius, & quidem primogenitus ſecundùm carnem fuerit, pertinuiſſe: (neque enim Iſmaëli terram Canaan datam, nec Meſſiam ex eô ortum eſſe;) ſed ſolum ad Iſaacum ceu promiſſionis filium ſpectaſſe, ſecundùm illud *Gen. XXI, 12. In Iſaac vocabitur tibi ſemen.*

§. 29. Hiſce pro conceſſis aſſumtis, ceu quibus refragari non poterant Judæi, argumentatur Apoſtolus hunc quaſi in modum: Si promiſſiones DEi Abrahæ factæ quoad Temporalia beneficia non ad omnes Abrahæ filios ſecundùm carnem promiſcuè pertinuerunt: etiam promiſſiones illæ quoad beneficia ſpiritualia, adeoque quoad Juſtitiam per Meſſiam donandam, non ſtatim ad omnes Abrahæ filios ſecundùm carnem pertinebunt. Sed verum eſt prius, &c. E. Quamobrem *verſ. 7. & 8.* ſenſus huc redit: *Non qui filii Carnis*, ſeu qui ſecundùm carnem ex Abrahamo orti, hi ſtatim *filii DEi ſunt*, in quibus ſcil. promiſſiones DEi ſpirituales, adeoque illa de juſtitia per Meſſiam donanda implendæ: *ſed qui filii promiſſionis*, h. e. qui per verbum promiſſionis Evangelicæ & vi ſupernaturali à Spiritu S. regenerantur, (quemadmodum Iſaac, qui virtute promiſſionis & non naturali, ſed ſupernaturali modo ex Abrahamo & Sara natus eſt,) *reputantur in ſemine*, in quo nimirum illæ promiſſiones ſpiritualium bonorum adimplendæ ſunt. conf. *Rom. IV, 9.* ſeqq. & *Gal. III, 7. 9. 29.*

§ 30. Quandoquidem verò Judæi regerere potuiſſent, Exemplum hoc ad rem non facere, cùm inſignis hîc diſcretionis cauſa habeatur, cur promiſſiones divinæ non ex æquo ad utrumque pertineant, dum Iſmaël ex peregrina & ancilla, Iſaac verò ex uxore libera natus ſit; ideoque mirum non eſſe, quòd ancillæ filius à promiſſionibus divinis fuerit excluſus: igitur ſubjungit Apoſtolus aliud Exemplum, idque planè irrefragabile, utpote in quô nulla talis inæqualitas reperiri poſſit, & quidem ex Iſaaci ædibus petitum, quando in Loco noſtro *verſ. 10. 11. 12. 13.* ita infit: *Non ſolum autem* (ſcil. hoc cum duobus filiis Abrahæ, Iſaaco & Iſmaële, ita ſe habet,) *ſed & Re-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

becca (ſcil. hoc experta eſt), *cùm ex unô concepiſſet*, nimirum *Iſaaco Patre noſtro. Nondum enim natis* (Eſavo & Jacobo), *cùm non feciſſent quicquam boni vel mali, ut illud ſecundùm electionem DEi propoſitum maneret, non ex operibus, ſed ex vocante, dictum eſt ei* (Rebeccæ *Gen. XXV, 23.*), *quòd Major ſerviet minori: ſicut ſcriptum eſt* (*Malach. I, 2, 3.*); *Jacob dilexi, Eſau verò odio habui.*

§. 31. Quibus & quidem initialibus verbis, *non ſolùm autem, ſed & Rebecca* &c. docet Apoſtolus, ſe hoc Exemplo, ab Eſavo & Jacobo petitô, idem, quod præcedente Exemplô ab Iſmaële & Iſaaco deſumtô, demonſtraturum eſſe, *quòd* nimirum *carnalis nativitas non faciat ad promiſſa beneficia, ne quidem temporalia, nedum ſpiritualia à DEo obtinenda*: (uti Judæi ſibi perſuadebant,) cùm Eſau & Jacob duo fuerint fratres, iique gemelli, ex unô patre, à matre unâ concepti, nullô vel bonô vel malô opere noti, ceu qui nondum nati erant, quin & Eſavo ob jus primogenituræ, ſi carnalem nativitatem ſpectes, prærogativâ debitâ; nihilominus tamen ordine inversô eos ita ſeparaverit DEus, ut neglectis Eſavi primogeniti poſteris elegerit Jacobi poſteros ad poſſeſſionem terræ Canaan, dominium & reductionem è captivitate, allegatis eum in finem Locis ex *Gen. XXV, 22, 23.* & *Malach. I, 2. 3.*

§. 32. Quæ dicta, (imprimis poſterius, quod Helena quaſi eſt, de qua in hac noſtra Diſputatione decertatur,) neceſſe habent, ut accuratè in propriâ ſede conſiderentur, & circumſtantiæ Textûs atque occaſio ea proferendi benè expendantur.

§. 33. Ad *prius* itaque *Dictum* quod attinet, ejus occaſio proferendi hæc fuit: Rebecca ſentiens ſe gemellos ferre, partusque ſuos in utero collidi, ivit ad quærendum Dominum, ſive per *Prophetam* illius temporis, & quidem vel per *Semum*, ut vult Targum Hieroſolymitanum & Pſeudo-Jonathanis, vel per *Melchiſedechum*, vel per ſocerum *Abrahamum*, ut volunt alii, ſive per *preces* ad altare, ubi nomen Domini publicè invocari ſolebat, (ſecundùm *Gen. XIII, 4. XXVI, 25.*), ſive aliô modô; ubi accepit hoc reſponſum: שְׁנֵי גוֹיִם בְּבִטְנֵךְ וּשְׁנֵי לְאֻמִּים מִמֵּעַיִךְ יִפָּרֵדוּ וּלְאֹם מִלְאֹם יֶאֱמָץ וְרַב יַעֲבֹד צָעִיר; h. e. *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi è viſceribus tuis ſeparabuntur* (ſeparabunt ſe): *Et populus præ populô fortior erit, & major ſerviet minori.*

§. 34. Circa *quod dictum duo* præcipuè obſervanda: *Unum*, &

ante

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

ante omnia: Non loqui hîc Oraculum de Perſonis Eſavi & Jacobi, ſed de integris populis ex Eſavo & Jacobo orituris: Unde expreſsè dicitur: שְׁנֵי גוֹיִם *duæ gentes,* וּשְׁנֵי לְאֻמִּים *& duo populi.* conf. *Gen. XXVII, 29.*

§. 35. Nec eſt, ut quis hîc proprietatem vocum urgeat, atque objiciat, propriè in alicujus utero duas gentes eſſe non poſſe. Dicimus enim, eas ibi fuiſſe impropriè quidẽ in ſtripibus ſuis; ſed propriè poſtea fuiſſe populos ſeparatos, propriè unum alterum ſuperaſſe, propriè majorem minori ſerviiſſe. Et ſanè nihil uſitatius eſt in Scriptura, quàm ejusmodi loquendi modi: e g. *Gen. XXXV, 11.* DEus Jacobo benedicturus ait: גּוֹי וּקְהַל גּוֹיִם יִהְיֶה מִמֶּךָּ וּמְלָכִים מֵחֲלָצֶיךָ יֵצֵאוּ׃ *Gens & cœtus gentium erit ex te, & reges ex lumbis tuis egredientur.* Et in Epiſt. ad *Hebr. VII, 5.* legitur: *Illi de filiis Levi ſacerdotium accipientes mandatum habent, decimare populum* (i. e. decimas ſumere à populo) *ſecundùm legem, hoc eſt, fratres ſuos, quanquam egreſſos ex lumbis Abrahæ.* Et *verſ. 10. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando occurrit ei Melchiſedek.*

§. 36. Atque id ipſum, quòd non de perſonis, ſed de integris populis loquatur Oraculum, comprobavit *Eventus.* Tantum enim abeſt, ut legamus, *Eſavum* in ſua perſona ſerviiſſe fratri *Jacobo*, ut potius Jacob ex Meſopotamia redux & fratri ſuo Eſavo obviam factus, varia honoris ac venerationis ſigna erga ipſum ediderit, puta dona offerendo, illum dominum ſuum appellando, ſepties ſe eidem incurvando, ceu legimus *Gen. XXXII.* & *XXXIII.* Contrà verò de populô Iſraëlitico & Eſaviticô hæc intelligenda eſſe, utriusque populi hiſtoria teſtatur. Etenim populus Iſraëliticus occupaturus terram Canaan, dicitur, *timori fuiſſe Edomæis, Deut. II, 4.* Qui timor poſtea in ſervitutem converſus fuit tempore *Davidis*, ut patet ex *2. Sam. VIII, 14.* collat. cum *1. Reg. XI, 15. 16.* & *1. Paral. XIIX, 12.* Eaque ſervitus dehinc continuata fuit ſub Regibus Salomone, Rehabeam, Abia, Aſſa, Joſaphat & Joramo. Et licet illi poſtea ſub Joramo poſt 150. circiter annos defecerint, ſibique Regem conſtituerint, ut habetur *2. Reg. VIII, 20.* & *2. Paral. XXI, 8.* ab Amazia tamen Rege Judæ iterum ſubacti ſunt, *2. Paral. XXV, 12.* Quin poſt captivitatem Babylonicam ſub Hyrcano denuò ſubjugati *circumciſionem receperunt, & reliquam juxta Judaicos ritùs vivendi formulam: atque ex eô primùm tempore inter Judæos cenſeri cœpti ſunt*, teſte Joſepho *Lib. XIII. Antiqu. cap. XVII.*

§. 37. Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

§. 37. Et hoc *unum* eſt, quod contra Adverſarios hîc obſervari meretur. Evictô enim, hîc non agi de perſonis *Jacobi* & *Eſavi*, ſed de integris populis ex ipſis ortis, ultrò ſequetur, nec agi hîc de Abſoluta *Eſavi* & *Jacobi* Reprobatione & Electione.

§. 38. *Alterum*, quod circa *idem dictum Geneſeos* obſervari debet, eſt, quòd hîc ſermo ſit *de terrenis ac temporalibus* tantùm *beneficiis*. Etenim nihil aliud hîc Iſraëlitis promittitur, quàm Dominium in Edomæos, ceu patet ex Textu. Sed quid hoc vel ad Electionem Jacobi ad vitam æternam, vel ad Reprobationem Eſavi?

§. 39. *Poſterius* nunc *Dictum* ab Apoſtolo ex *Malach.* 1, *2. 3.* de *Dilectione Jacobi & Eſavi odio* allegatum, etſi Hieronymo *ad Hedibiam quæſt. X.* præcipuam videtur habere difficultatem: nihilominus tamen, ſi Textus ipſe apud Malachiam accuratius expendatur, & ſcopus ac finis Apoſtolicæ allegationis hujus dicti attendatur, qui eſt, ut Verba ex Geneſi citata confirmet, ac promiſſionis ibi factæ complementum demonſtret, omnis difficultas exſpirat.

§. 40. Etenim Propheta Malachias populum Judaicum, nuper ex captivitate Babylonicâ reductum, ac variis peccatis deditum, ſummæ erga DEum ingratitudinis accuſaturus, ſimulque & priſtina & recentiora beneficia ipſi à DEo præſtita in memoriam revocaturus, ita nomine DEi increpat *verſ. 2. 3. 4. 5. Dilexi vos, dixit Dominus. Et dixiſtis: in quo dilexiſti nos? Nonne frater eſt Eſau Jacobi? dixit Dominus, &* (tamen) *dilexi Jacob, & Eſau odio habui: & poſui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatem ejus pro draconibus deſerti. Quod ſi dixerit Edom, depauperati ſumus, ſed revertemur & ædificabimus deſolata; ſic dixit Dominus exercituum: ipſi ædificabunt, & ego deſtruam: & vocabunt eos terminum impietatis, & populum, quem deteſtatus eſt Dominus usque in ſeculum. Et oculi veſtri videbunt, & vos dicetis: Magnificetur Dominus ſuper terminum Iſraël.*

§. 41. Circa quod *dictum Malachiæ* iterum varia notanda: & (1) quidem, illud tantùm de prærogativâ beneficiorum temporalium, poſteris Jacobi præ poſteris Eſavi conceſsâ, agere: quandoquidem id in verborum ex Geneſi citatorum confirmationem, & ad teſtandum promiſſionis ibi factæ complementum ab Apoſtolo ſubjungitur, ceu docent particulæ, locum alterum cum alterô connectentes: *ſicut ſcriptum eſt*. Aliàs enim *dictum Malachiæ* nihil faceret ad *dicti Moſaici* confirmationem, cujus gratiâ tamen ab Apoſtolo affertur.

§. 42. (2) Sciendum, quòd in prioribus verbis: *Nonne frater eſt*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

eſt Eſau Jacobi, & (tamen) dilexi Jacob: Et Eſau odio habui? Propheta non loquatur de beneficio reductionis ex Captivitate Babylonica, uti videri poterat; ſed longius repetat beneficia in majores collata, reſpiciendo nimirum ad poſſeſſionem terræ Canaan, melle & lacte fluentis, nec non ad dominium, Iſraëlitis in Edomæos conceſſum, ut oſtendat ſummam populi Iſraëlitici ingratitudinem, obſervante Vatablô in *h. l.* Sed in poſterioribus verbis: *Et poſui montes ejus in ſolitudinem*, &c. loquatur demum Propheta de beneficio recentiori liberationis è captivitate & reductionis in terram ſuam, quam iterum colere ac ædificare poſſint; cùm Edomæi plerique in captivitate ſint relicti, eorumque terra manſura ſit deſerta & inculta.

§. 4. (3) Obſervari meretur, quòd in prioribus verbis: *Nonne frater erat Eſau Jacobi*, Nomina illa ſumantur pro perſonis Jacobi & Eſavi; in poſterioribus verò verbis: *Et dilexi Jacob, Eſau verò odio habui*, eadem illa Nomina adhibeantur pro populis ex iisdem ortis, ut ſenſus ſit: *Quamvis Eſau* natu major *frater fuerit Jacobi*, nihilominus *Jacobi poſteros dilexi, poſteros verò Eſavi odio habui*, i. e. poſtpoſui vel minus dilexi, ut mox prolixius explicabimus. Quòd autem in una periodo Jacob & Eſau duplicem hanc obtinere poſſint ſignificationem, & modò pro patre & ſtirpe gentis, modò pro ipſa gente & populô ſumi queant, probamus cum Celeberr. Dn. Præſide *Exercit. Anti-Wendel. pag. 158.* tùm verbis ex *verſ. 6. Cap. IX. Epiſt. ad Rom. Non enim omnes, qui ſunt ex Iſraël, ſunt Iſrael*: ubi nomine *Iſrael* modò *Jacobus*, modò *Iſraëlitæ* deſignantur. Certè Scriptoribus S. non inſolens eſſe, mentionem ſtirpis & poſterorum conjungere, docent etiam verba noſtri Controverſi Loci: *Nondum natis* (pueris Eſavo & Jacobo), *dictum eſt ei* (Rebeccæ): *Major* (ſcil. populus) *ſerviet minori.*

§. 44. Præterea (4) notandum venit, apud Malachiam non agi de tali *Amore*, qui Electionem ad vitam æternam, nec de tali *Odio*, quod reprobationem æternam inferat: ſed tantùm de tali, quô prærogativa Iſraelitis præ Eſavitis quoad temporalia beneficia conceditur, quod iterum ex contextu clarum eſt. Etenim *Amor*, quô DEus dixit: *Dilexi vos*, talis erat Amor, qui æquè malos ac bonos includebat: quod indicant verba prooemialia cap. I. Malachiæ, ubi legitur: *Onus verbi Domini ſuper Iſraël per Malachiam*: poſt quæ immediatè *verſ 2.* habetur: *Dilexi vos, dicit Dominus*: cui ingratiſſimus populus vanâ pietatis imaginatione turgidus, ac æquâ fortunâ non ſemper gau-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

dens contentioſè reſpondet: *In quo dilexiſti nos?* Ubi DEus ſummam populi Iſraëlitici ingratitudinem demonſtraturus, eos hoc modo alloquitur: *Nonne Eſau frater eſt Jacobi, & tamen dilexi Jacob*, i. e. Iſraëlitas: *Eſau verò* ſeu Eſavitas *odio habui*. Sed quomodò Iſraelitas dilexit? An eos ad vitam æternam eligendo? Nequaquam. Quis enim credat, Iſraëlitas promiſcuè ad vitam æternam fuiſſe electos & ſalvatos, qui tàm ingrati, tàm pervicaces erant, ut DEum non honorarent, non timerent, nomen DEi deſpicerent, panem pollutum, nec non cœcum, claudum, languidum offerrent, ceu de iis DEus *cap. I, 6. 7. 8.* totâque illa prophetiâ graviſſimè conqueritur. Quomodò verò aliter? nimirum, præferendo eos Edomæis, & quidem quoad temporalia illa beneficia, ſupra à nobis ſæpe enumerata.

§. 45. Similem DEi amorem erga populum Iſraëliticum quoque celebrant Prophetæ, eumque in memoriam ingrato populo revocant, ut eum ad gratitudinem tandem erga DEum excitent: Sic Moſes Deut. VII, 6. 7. 8. *Tu*, inquit, *populus ſanctus* (ſelectus, ſeparatus) *es Domino DEo tuo. Te elegit Dominus DEus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Non propter multitudinem veſtram præ omnibus populis vobis junctus eſt Dominus & elegit vos, cùm vos parum* (pauci) *ſitis præ omnibus populis. Sed quia dilexit vos Dominus, & cuſtodivit juramentum, quod juravit Patribus veſtris, eduxitq; vos in manu forti, & redemit de domo ſervitutis, de manu Pharaonis, regis Ægypti.*

§. 46. Eodem modo ſi *Odium* Eſavi tanquam oppoſitum *Amoris* Jacobi conſideremus, illud tale non fuit, quod *Reprobationem & æternam damnationem* inferebat: ſed vi oppoſitorum manifeſtum eſt, quòd quemadmodum *Amor* ille, ita & *Odium* hoc ultra temporalia ſe non extendat. Præterea verbum *Odiſſe* h. l. non ſignificat *aliquem odiô proſequi*, ſed tantùm *aliquem in amore poſtponere*, vel *minus amare*, atque indicatur, quòd DEus Eſavitas tot bonis temporalibus, uti Jacobi poſteros, non affecerit, ſed illos hiſce poſtpoſuerit.

§. 47. Quod autem illa *Odii* ſignificatio in Lingua Hebræa & Helleniſtica paſſim in uſu ſit, patet ex plurimis Scripturæ locis. Ita enim Gen. XXIX, 31. de Jacobo dicitur, quòd *Lea ipſi fuerit exoſa*: Ubi verò nequaquam *Odium* propriè ſic dictum, ſed tantùm *minor amor* ſignificatur, ſicut hoc *verſ. præced. 30.* declaratur, ubi dicitur:

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

Et dilexit (Jacob) *etiam Rahel præ Lea.* Ita quoque in N. T. locus manifeſtus eſt *Luc. XIV, 26.* quando Chriſtus ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & ſuam animam, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Ubi iterum non intelligitur *Odium* propriè & abſolutè dictum, ſed tantùm *minor amor*, uti id clariſſimè docet Matthæus, quando eadem verba Chriſti comparativè effert, *cap. X, 37. Qui amat patrem & matrem ſupra me*, (vel plus quàm me,) *non eſt me dignus.*

§. 48. Quòd verò & h. l. mitior illa *Odii* ſignificatio obtineat, patet inſuper ex eo, quod Epiſtola ad Hebr. XI, 20. teſtatur, *Iſaacum fide de futuris benedixiſſe Jacobo & Eſavo*, idque comprobat Hiſtoria Eſavi, Gen. XXVII, 38. 39. 40. 41. Itaque *Odium* h. l. nequaquam de Odio illo exitiali ad æternam damnationem poteſt explicari.

§. 49. Quibus ita prolixè expoſitis, tota ſtructura Argumenti Apoſtolici pro ſua Theſi (quòd *carnalis nativitas non valeat ad obtinenda à DEo beneficia ſpiritualia,*) contra Judæos illius temporis, contendentes, *ad ſe ſolos tanquam filios Abrahæ, ac ſectatores juſtitiæ legis, nequaquam verò ad gentiles, juſtitiam per Meſſiam donandam pertinere*, ita ſeſe habet:

Si DEus in conferendis beneficiis temporalibus nativitatem carnalem & operum ſtudium non attendit, etiam non attendet ea in Spiritualibus. Sed verum eſt prius. E. & poſterius.

Conſequentiam tanquam indiſſolubilem hîc præſupponit Apoſtolus. *Prius* probat hoc Proſyllogiſmo: Si DEus in temporalibus beneficiis poſteros Jacobi poſteris Eſavi prætulit, dando poſteris Jacobi dominium in poſteros Eſavi, idque nec intuitu nativitatis ſeu conditionis naſcendi Jacobi, nec intuitu factorum ab ipſo bonorum operum: ſequitur, quòd DEus in conferendis temporalibus beneficiis nativitatem carnalem & Operum ſtudium non attendat. Sed verum eſt prius. E. & poſterius.

Conſequentia iterum clara eſt. *Prius* verò quoad primum membrum, (nimirum *quòd non intuitu nativitatis ſeu conditionis naſcendi DEus Jacobi poſteros poſteris Eſavi prætulerit,*) probat inde, quòd Jacobus & Eſavus gemini fuerint ab una matre Rebecca, ex patre uno Iſaaco concepti: (& primogenitus quidem fuit Eſavus, ita ut, ſpectatâ eorum nativitate, Jacobus potius poſtponendus Eſavo fuiſſet,

C 2 quàm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

quàm præponendus): quoad poſterius membrum (ſcil. *non intuitu factorum à Jacobo bonorum operum Jacobum prælatum eſſe Eſavo*), probat his verbis: *Nondum enim natis* (Eſavo & Jacobo), *cùm nec bonum nec malum feciſſent, ut propoſitum DEi, quod eſt ſecundùm Electionem* (ſcil. ad prærogativam beneficii temporalis) *firmum maneret, non ex operibus, ſed ex vocante* (ſcil. DEo) *dictum eſt ei* (Rebeccæ): *Major ſerviet minori*, h. e. poſteri Eſavi ſervient poſteris Jacobi. Quæ omnia ſupra prolixè partim ex Hiſtoria Jacobi & Eſavi, partim ex dictis *Gen.XXV.* & *Malach.* I. expoſita & probata fuerunt.

§. 50. Ex quibus nunc ultrò conſequitur, quòd quemadmodum DEus in temporalibus beneficiis conferendis liberô voluntatis beneplacito uſus eſt, nullô habitô reſpectu ſive ad carnalem nativitatem, ſive ad opera: ita quoque in ſpiritualibus beneficiis DEUS pro ſuo beneplacitô gentiles, in Chriſtum credentes, prætulerit Judæis, à fide Chriſti averſiſſimis, donando illis, non his, juſtitiam, nullâ habitâ ratione nativitatis carnalis, quam traxerunt Judæi à patribus, nec operum legis, quæ hi fecerunt. Quod contra Judæos erat demonſtrandum.

§. 51. His ita expoſitis facilè nunc totius *Capitis IX. X.* & *XI.* explicationem ſubjungere poſſemus. Sed quia hæc præter inſtitutum videmus excreſcere, continemus nos intra cancellos Thematis noſtri, remittentes Benevolum Lectorem ad *Exercitationes Anti-Wendelinianas* Celeberr. Dn. Præſidis *Exerc. III.* §. *22. 23.* ubi ea ſolidè explicata habentur.

SECT. IV.

Deſtruens falſam Adverſariorum Loci noſtri de Abſolutô Electionis & Reprobationis Decretô Explicationem, & Rationes pro eadem allatas.

§. 52. Poſtquam *præcedenti Sectione* veram noſtri Loci explicationem propoſuimus ac ſtabilivimus, nunc porrò videndum, quàm ſit incongrua Adverſariorum explicatio, quidque roboris habeant ipſorum rationes & Argumenta pro eâ, ſupra *Sect. II.* allata.

§. 53. Et (1) quidem Explicationi eorum repugnat, quòd Apoſtolus h. l. planè non agat de ſingularibus perſonis Eſavi & Jacobi, ſed de integris populis inde ortis, quod nobis præbet hoc Argumentum: *Si* in loco Paulinô non agitur de Perſonis Eſavi & Jacobi,

cobi,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

cobi, ſed de integris populis ex iis ortis, ſequitur nec h. l. agi de Jacobi Electione ad vitam æternam, & Eſavi reprobatione ſive deſtinatione ad mortem æternam, quod tamen volunt Adverſarii, hosque in Exemplum adducunt abſolutæ Electionis & Reprobationis. *Atqui* verum eſt prius. E. *Conſequentia* eſt manifeſta. *Prius* prolixè probavimus *Sect. III. §. 34. 35 36. 37.* Firma igitur ſtat Concluſio.

§. 54. Nec aliunde poſſunt Adverſarii probare, Eſavum fuiſſe reprobatum & damnatum. Nam quod de *Odio* addunt in fratrem, notum eſt, Eſavum id depoſuiſſe, ceu patet ex Gen. XXXIII. ubi in Eſavo jucundiſſimum fratris reconciliati exhibetur ſpectaculum: nec legimus poſteà ullas ejus contra fratrem inimicitias. Quin potius poſt mortem Patris Iſaaci, ex Seir reverſus Eſau, gratitudinis & reverentiæ filialis conteſtandæ ergò unà cum fratre Jacobo Patrem Iſaacum ſepelivit. Vide hîc elegantiſſimè diſſerentem B. Lutherum in *Gen. XXXV.* fin.

§. 55. (2) Explicationi Adverſariorum repugnat, quòd ne quidem in totô *Cap. IX.* & *duobus ſeqq.* Apoſtolus agat de Electione ad ſalutem & Reprobatione: quod inde manifeſtum eſt, quia agit de tali Electione, à quâ quis excidere poſſit, & de tali Rejectione, à qua pateat reditus ad gratiam, quandoquidem Apoſtolus affirmat, eos, quos hîc dicit Electos, poſſe gratiâ excidere, & quos hîc dicit Rejectos, poſſe ad gratiam redire, quando *Cap. XI, 13. & 14.* ſcribit: *In quantum quidem ſum ego gentium Apoſtolus, miniſterium meum glorifico, ſi quomodò ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos reddam aliquos ex illis.* Et *verſ 17.-23.* hoc modo diſſerit: *Quod ſi aliqui ramorum defracti ſunt, tu autem Oleaſter exiſtens inſertus es illis, & particeps radicis & pinguedinis Olivæ factus es: ne gloriare adverſus ramos - -, ne effertor animo, ſed time. Si enim DEus naturalibus ramis non pepercit, vide, ne tibi quoque non parcat. Vide ergò benignitatem ac ſeveritatem DEi: in lapſos quidem ſeveritatem, in te verò benignitatem, ſi permanſeris in benignitate: alioquin & tu excideris. Sed & illi, ſi non permanſerint in infidelitate, inſerentur: poteſt enim DEus rurſum inſerere illos,* &c.

§ 56. Quin non ſolùm indicat, fieri poſſe, ut rejecti inſerantur, ſed & multos eorum actu ad Chriſtum converſum & ſalvatum iri docet *verſ. 25. 26.* dum addit: *Non enim volo vos ignorare, fratres, myſterium hoc, (ut ne ſitis apud vosmetipſos arrogantes,) quòd obduratio ex parte Iſraeli facta eſt, usque dum plenitudo gentium introierit. Et ita totus Iſrael ſervabitur, ſicut ſcriptum eſt* (Jeſ. LIX, 20.): *Veniet ex Sion ille liberator, & aver-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

tet impietates à Jacob. Quibus junge, quæ habet Apoſtolus *verſ. 31. 32. ejusdem Cap. XI.*

§. 57. Unde contra Adverſariorum Explicationem argumentari poſſumus hunc in modum: (1) A qua Electione quis excidere, & à quâ Rejectione quis ad gratiam & ſalutem redire poteſt, illa Electio non eſt Electio ad ſalutem æternam, & illa Rejectio non eſt rejectio à ſalute æternâ, vel Reprobatio. *Sed* talis eſt illa Electio gentilium, & Rejectio Judæorum, de quâ Apoſtolus *hiſce Capp.* agit. *E. Major* eſt clara, vel ex ipſis Adverſariorum hypotheſibus: Docent enim nobiſcum, quòd Electio & reprobatio reſpectu æternæ ſalutis & damnationis ſit immutabilis, & quòd neque Electi damnari, neque reprobi ſalvari poſſint. *Minorem* probavimus *§. 55.* ex *Cap. XI, 17 - - 23.* Firma itaque ſtat Concluſio.

§. 58. Ulterius argumentamur: (2) Quâ Rejectione poſitâ, nihilominus multi Rejectorum actu conſequentur gratiam & ſalutem, illa non eſt rejectio à vita æterna ſive Reprobatio. *Atqui* hæc Rejectio eſt talis. *E. Major* iterum manifeſta eſt & ab Adverſariis conceditur. Nam qui ſemel reprobatus eſt, non poteſt effugere æternam damnationem, nec redire ad gratiam, ut tandem habeat vitam æternam. *Minor* probata eſt ex *Cap. XI, 25. 26.*

§. 59. Præterea Adverſariis conſiderandum proponimus; Annon longius à ſcopo abeat ipſorum Explicatio, ſi attendamus ad *ſtatum quæſtionis*, inter Judæos & Apoſtolos vel Chriſtianos tunc temporis agitatæ: (Apoſtolo enim h. l. propoſitum eſſe, ex profeſſo contra Judæos diſputare, ac doctrinam ſuam contra eosdem defendere, negari nequit.) Jam verò nulla tunc inter Judæos & Apoſtolos controverſia fuit de *Prædeſtinatione ad vitam æternam, aut Reprobatione abſoluta*: Sed hoc inter Judæos & Apoſtolos tunc valdè controverſum erat; quinam eſſet verus DEi populus, qui juſtitiam conſequatur & à DEo juſtificetur: *An Judæi* ex Abrahamo orti & juſtitiam ex operibus legis quærentes, an verò Gentiles, qui in Chriſtum credebant? Ubi Judæi ceu *Filii Abrahæ* ſibi prærogativam illam arrogabant. confer. Rom. III, 29. ſeqq. IV, 12. ſeqq. Gal. III, 6. ſeqq. ad fin. & ſic toto hoc Cap. IX. ad Rom. Et jam inter Chriſtum ipſum & Judæos Controverſia agitata fuit; An omnes veri ſint Abrahæ filii, qui ex Abraham ortum ducunt, ut patet ex Matth. III, 9. Luc. III, 8. Joh. VIII, 33. ſeqq.

§. 60. Ha-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

§. 60. Hactenus Adverſariorum Interpretationem ipſam ceu falſam & incongruam Argumentis noſtris deſtruximus: Expendamus nunc etiam eorum rationes & fundamenta, ſuprà pro hac ſua Interpretatione allata.

§. 61. Atque ita *primo loco* ſeſe offerunt *Connexiones & Coherentiæ Textus*, quas fingunt οἱ ἐξ ἐναντίας. Sed has contortas & alienas à ſcopo Apoſtoli eſſe, partim ex ſupra dictis, partim ex jam dicendis apparebit. Ad *primam* enim quod attinet Connexionem, nempe Apoſtolum docere voluiſſe, *Quibus præcisè DEus fidem dare velit*; unde probabunt Adverſarii, quæſtionem illam h. l. tractari ab Apoſtolo? Neque enim in Textu ea habetur. Sed hæc quæſtio ibi agitatur: *Cur Judæi non conſequantur Juſtitiam, conſequantur autem eam Gentiles?* uti demonſtravimus ſuprà *Sect. III.* §. *21.* Nulla igitur eſt illa connectendi ratio.

§. 62. Sic *ſecundam* connexionem, quòd Apoſtolus reſpondeat ad Quæſtionem vel Objectionem: *Si Jeſus verus eſſet Meßias, qui fiat, quod plerique Judæi in eum non credant?* quomodo itidem ex textu probabunt ac demonſtrabunt, Objectionem hanc Apoſtolo h. l. fuiſſe motam? Et poſitô, motam fuiſſe hanc Quæſtionem, quis credat, Apoſtolum reſpondere voluiſſe, id inde fieri, *quòd DEus ipſis fidem dare noluerit?* Certè hæc reſponſio DEum hypocritam feciſſet, qui externè Judæos vocaſſet ad fidem in Chriſtum, cùm tamen ex arcano voluntatis conſilio & abſoluto decreto, fidem ipſis dare eosque credere noluerit: & ſic parum commendaſſet Apoſtolus doctrinam Chriſtianam inter Judæos & gentiles tunc propagandam.

§. 63. Ità *Tertiam* connexionem confictam eſſe & excogitatam ad Prædeſtinationem abſolutam exſtruendam, ex contextu ſatis apparet. Præterea hæc connexio falsâ Calvinianorum nititur hypotheſi, quòd illi, qui ſemel crediderunt, neceſſariò perſeverent, & fidem ſemel conceptam amittere nequeant. Nec ad eam probandam facit locus Rom. VIII, 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*, &c. Quamvis enim nihil tam potens eſt, ut ex ſe & vi ſua valeat ſeparare fideles à charitate DEi, cùm *in omnibus plus quàm vincamus per eum, qui dilexit nos*, Rom. VIII, 37. modò viribus ab ipſo conceſſis, & parato Spiritûs S. auxilio uti velint: poſſunt tamen fideles ſeparare à charitate DEi, quæ ex ſe invalida ſunt ad ſeparandum eos, ſi illi ſibi ipſis deſint, & arma projicentes ultrò ſe dedant hoſti: quemadmodum Simſon flocci faciens Nazareatûs votum, propriâ culpâ ſuique ipſius proditione

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

tione captus eſt, cùm vi & robore hoſtium aliàs capi non poſſet, Judic. XV. & XVI. uti hunc in locum eleganter diſſerit Max. Rever. Dn. Præſes in *Exercit. VII. Anti-VVendel.* §. 33.

§. 64. *Quarta* Connexio, quæ Piſcatoris eſt, ſatis profligatur per ea, quæ contra *ſecundam* ſuprà attulimus.

§. 65. Deinde ad *Rationes Pareanas* quod attinet, Reſpondemus & quidem ad *primam*: Apoſtolum docere, non omnes ex Abrahamo natos, eſſe filios promiſſionis, ad quos divinæ promiſſiones Abrahamo factæ, etiam quà corporales tantùm erant, pertinerent: ſed DEum voluiſſe tantùm Iſaacum cenſeri in ſemine, in quo promiſſiones divinæ de poſſeſſione terræ Canaan, & de ſemine benedicto, ex Abrahamo orituro, implendæ eſſent: indeque concludi vult, nec omnes ex Abrahamo natos eſſe filios promiſſionis, ad quos promiſſiones ſpirituales, adeoq; promiſſio de juſtitia per Meſſiam donanda pertineat. Hic ſcopus eſt Apoſtoli, ut ſupra oſtenſum.

§. 66. Ad *Secundam rationem, Quòd DEus figulo comparatur*, Reſp. (1) Membra comparationis non eſſe extendenda ultra tertium. (2) Omninò integrum DEo eſſe, ex genere humano lapſo alios quidem, qui voluntati & ordini divino ſe ſubmittentes, DEo, gratiâ ſuâ illos fingenti, tractabiles & morigeros ſe præbent, facere vas ad decus, 2. Tim. II, 21. impertiendo iis juſtitiam; alios verò, qui voluntati & ordini divino pertinaciter reſiſtentes, DEo, gratiâ ſuâ eodem modô illos ficturo, intractabiles & immorigeros ſe præbent, facere vas ad dedecus, juſto judiciô eos indurando. Nam DEum in fingendo ſuas actiones attemperare hominum actionibus, apparet ex Jer. XVIII, 1 - - - - 12. ubi eadem figuli ſimilitudo adhibetur.

§. 67. Ad *Tertiam* dicimus, Oracula Hoſeæ & Jeſaiæ, *Verſ. 25. 26. 27. Cap. IX. Rom.* allegata, agere de vocatione gentium ad Regnum Chriſti ſeu Eccleſiam, ceu quæ in locum Judæorum ſunt receptæ, poſtquam Judæi privilegium peculii DEi amiſerunt. Sed quid hoc ad Electionem ad vitam æternam, vel Reprobationem abſolutam?

§. 68. Ad *Quartam* Reſp. Falſum eſſe, quòd omnes Interpretes ſaniores agnoſcant, hîc explicari myſterium Electionis & reprobationis. Interim non negamus, eſſe nonnullos Interpretes, etiam ex noſtris, qui Locum hunc aliquo modo ad Diſputationem de electione & reprobatione æterna accommodant, ſed tamen ita, ut intra certos limites ſe contineant, quos recenſet B. Mylius *Comment. in Epiſt. Rom. p. 323. ſeqq.* nimirum: (1) *Ut non primò & ſimpliciter, ſed ſecundariò demùm & conſequenter myſterio Prædeſtinationis Locus iſte convenire exiſtimetur.* (2) *Ut in Perſonis iſtis non Exempla Prædeſtinationis & reprobationis, ſed typi duntaxat ardui illius myſterii proponi credantur.* (3) *Ut quoad reprobationẽ cum typo Eſau in cauſa prima eam minimè congruere meminerimus. Nam ut in primogenituræ abrogatione cauſam primam, niſi in voluntate DEi quærendam, nullam aliam facilè largimur: ita in damnatione hominum idem fieri minimè permittimus.* (4) *Ut applicatio non fiat ſecundùm omnes partes allati typi, ſed in iis duntaxat, quarum gratiâ proponitur.* Earum autem ſumma hæc erit juxta B. Mylium: (1) *Sicut Jacob & Eſau, quamvis fratrum Germanorum, non tamen eadem fuit conditio, ſic non ejusdem generis eſſe, quotquot ſe Iſraelitas profitentur, ſed alios quidem ſalvatos, alios autem damnatos eſſe.* (2) *Sicut nec carnis privilegio aut operũ meritis inſtitutum fuit, ut primogenturâ quis potiretur: ſic easdem cauſas in ſalutis negotio minimè valere.* (3) *Sicut ibi ſolùm divinæ bonitatis propoſitum obtinuerat: ita in ſalutis & prædeſtinationis myſterio cauſam aliam primam, externam præcipuè, quæ in hominibus reſideat, nullam ſtatuendam eſſe.* Et tantum hac vice. *DEo, qui gratioſos nos ſibi reddidit in dilecto,* ſit Laus, honor & gloria. AMEN.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-276 4° 1456